

*res, pervicaces, intractabiles, sic addicti Lutheri, ut nec sciant, nec seruent, quod Lutherus docet. Tantum Evangelium habent in ore, negligunt preces & sacra.* LVTHERVVS profecto & Doctorum & auditorum mores emendare summo studio annitebatur. A Doctoribus requirebat vitam irreprehensibilem, adeoque mores Christianos, non saltem externos, qui etiam in hypocritas cadunt, sed etiam internos, veram sui abnegationem, frequens precum studium, aliaque, quae in oculos non cadunt, dona ministrantia, in impiis doctoribus vera & supernaturalia esse, recte quidem cum aliis piis Reformatoribus ac Confessoribus statuebat, ad dona tamen sanctificantia in vocando verbi divini ministro simul respici oportere, Patronis Ecclesiae saepissime inculcabat, & si istud ab eis omissum, DEI iram & varias poenas annunciabat.

§. V. Objicit hic quidem saepius excitatus Eliae nomine superbiens fanaticus p. 21.: *Lutherus kunte unmöglich alle Articul also einrichten, daß sie auf einem wahren festen Grund stünden, insonderheit, daß sie denen Heuchlern und Unbußfertigen einen Eintritt gelassen.* Sed respondetur, Articulus A. C. VIII. de Ministerio malorum, quem omni fundamento carere, saltem dicit, non autem probat, patrocinium impiorum doctorum non suscipit, quamvis eos, si de Deo rebusque divinis recte sentiant, verbum & sacramenta legitime dispensent, alios ad salutem posse perducere, publice profiteatur. Vi enim ordinationis Spiritus a verbo separari non potest, Rom. I, 16. imo incredulitas hominum non potest tollere fidem & promissiones divinas, de verbo ejusque efficacia datas, *Es. LV, 11. Rom. III, 3. 2. Tim. II, 13.* Hinc impiorum etiam ministrorum instituenda adhuc vocatio non approbatur, sed saltem, si jam facta, rata quidem, sed non omni ex parte legitima habetur. In calumniam igitur resolvuntur eorum judicia, qui Articulum A. C. VIII. pro ultimo pessimorum doctorum refugio habere non verentur. LVTHERVVS ut